

alii, ipsis non audientibus, nec recitantibus canunt, seu recitant, quia chorus, cui inseruiunt, supplet pro ipsis. *Communis*.

(19. Quamvis aliqui apud Pellizzarium, *Manual. reg.*, tom. I, tract. 5, cap. 8, n. 42, et Tamburini, l. II, *Decalog.*, cap. 5, § 2, n. 11, probabile censeant eos satisfacere, qui cum sola attentione externa assistunt integræ Horæ a musicis decantatæ: tamen oppositum est tenendum, quia tales simpliciter audientes non orant vocaliter, nec orationem illam musicorum faciunt suam, cum non alternent cum ipsis. Sporer, *l. c.*, n. 99; Gobat, *l. c.*, n. 705; Sporer, *l. c.*, n. 1199, et alii.

(20. Psalmi, hymni, antiphonæ et huiusmodi, quæ solo organo, vel alio musico instrumento sine humana voce personant, debent a religiosis in choro submissa voce recitando suppleri, cum sola organi pulsatio non sit oratio, nec attendendo simpliciter ad organum, attendatur orationi. Sic passim doctores et praxis fere communis. (21. Quamvis tamen Sanchez, lib. VII *Consil. moral.*, cap. 2, dub. 26, aperte doceat oppositum et nec id improbabile censeat Sporer, *l. c.*, num. 99. Unde idem Sanchez, *ibidem*, aliis citatis, Sotus, Navarr., Arragon., Rodriguez apud Layman, lib. IV, tract. 1, cap. 5, n. 7, docent organædum, qui choro organis musicis, alternis versibus respondet, non esse obligatum, ut voce etiam proferat.

(23. Integre recitatur divinum officium, quod etiam privatim recitetur cum socio, seu sociis alternatim versus recitando. *Communis*. (24. Unde potest licite recitari divinum officium etiam privatim a quatuor, vel octo simul, dummodo non constituatur, nisi duplex chorus et alternis versibus recitentur psalmi et hymni; antiphonæ autem, responsoria, capitula, lectiones et orationes possunt licite recitari ab uno solo, vel a pluribus, omnibus aliis attente audientibus. At nequeunt duo, vel quatuor recitare totam primam mediam partem Matutini v. g. et alteram mediam audire a sociis; neque possunt duo recitare omnes psalmos et postea a tertio audire lectiones, quia hoc esset recitare per tres choros contra morem ecclesiasticum et communem consuetudinem Ecclesiæ, quæ non concedit recitari officium divinum cum socio, vel sociis, nisi alternatim in forma chori, alternis versibus recitando. Sporer, *l. c.*, num. 105, cum pluribus ibi citatis; La Croix, lib. IV, n. 1298, cum multis ibi citatis, et alii passim.

(25. Integre et licite recitatur divinum officium cum socio etiam laico non obligato, non attento, imo non audiente, dummodo ipse recte recitet alternatim versus, et ab obligato ad officium attente audiantur. Diana, p. VII, tract. 11, resolut. 6; Pellizzar, tom. I, tract. 5, cap. 8, num. 91; Stoz, lib. I, par. III, num. 454; Gobat, *Theolog. experiment.*, tract. 5, num. 691; La Croix, *l. c.*, n. 1295, et alii passim.

(26. Qui in choro, vel cum socio divinum officium recitando, nondum absolutis alterius chori, seu socii versibus, præprope- rat notabiliter incipere suos, peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem, quia ultra quod partem anticipatam non communicat alteri choro seu socio, non percipit ipsemet versiculos a choro, vel socio recitados. *Communis* cum Sporer, *l. c.*, n. 101; Henno, tom. I, *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 7, conclus. 1, resolut. 4. (27. Item peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem, qui recitat divinum officium syncopando, mutilando, truncando, glutiendo, seu absorbendo syllabas, sive medias, sive ultimas: nisi tamen id fieret involuntarie ex naturali linguæ præcipientia, aut balbutie, quia tunc nullum esset peccatum. *Communis* cum Sporer, *loc. cit.*, num. 100, 102 et 103; Henno, *loc. cit.*, resolut. 3.

(28. Qui ob alterius chori defectum, vel ob strepitum aliqua ab altera parte prolata non percipit, adhuc satisfacit, nec opus est quidquam repetere, quia alioquin multi orirentur scrupuli, ad quos removendos habemus privilegium. Bonartius, lib. III, cap. 45, num. 4; Gobat, *Theolog. experiment.*, tract. 5, num. 692; Sporer, *loc. cit.*, num. 107; Tamburini, lib. II *Decalog.*, cap. 5, § 4, num. 12; Felix Potestas, tom. I, part. II, num. 444, et alii. Quinimo Tamburinus, quem sequitur Felix Potestas *loc. cit.*, dicit ipsum satisfacere, quamvis ob socii, vel alterius chori defectum, nihil ex iis percipiat; habet enim Tamburinus, *loc. cit.*, hæc præcisa verba: « Sine hæsitacione pronuntio, te satisfacere, si attendas quantum moraliter vales, licet propter socii, vel alterius chori defectum nihil ex iis percipias; ratio est, quia hoc modo tu præstas id quod potes, nec per te stat quo audias atque per debitam recitationem tuæ partis, et attentionem ad alteram partem, ejus orationem vel recitationem satis tibi communem facis. » (29. Et hoc esse verum etiamsi quis sit surdus et inde alterius chori partem audire non valeat, docent Henno, tom. I, tract. 1, *Decalog.*, disp. 1, qu. 13, art. 3, conclus. 1; Leander, part. VI, tract. 8, disput. 6, quæst. 40, cum Paschal. et aliis apud Felicem Potestatem, *loc. cit.*, num. 444, quia ex una parte ad impossibile nemo tenetur; leg. *Impossibile* 183, ff. *De regul. jur.*, et cap. *Nemo potest* 6, *De reg. juris*, in 6, et ex alia parte, quod recitatur in choro, est oratio totius chori, adeoque etiam ejus, qui non audit, non valens, dummodo choro assistat et attendat. Non enim est credibile, quod benigna mater Ecclesia voluerit illum obligare, vel ad repetendum privatim officium, vel ad omnia, quæ ab aliis dicuntur, submisce recitanda, alias vix posset intercantandum respirare. Tamburinus autem, *loc. cit.*, num. 13, quamvis concedat satisfacere surdastrum, etsi nihil percipiat, dummodo quantum potest, attendat: negat tamen satisfacere

omnino surdum et ita etiam tenet Mendo, verb. *Horæ*, num. 33, ubi dicit quod surdus teneatur repetere. Sporer tamen, *loc. cit.*, n. 107, dicit se nihil hic definire auctore.

(30. Officium divinum nedum est recitandum integre, sed etiam continue, ita ut, una Hora canonica cæpta, debeat tota dici usque in finem continue, nec possit licite interrumpi sine justa causa. *Communis*, arg. cap. *Nullus* 57, De consecratione, dist. 1, c. *Presbyter* 1, et c. *Dolentes* 9, De celebratione missarum, et Clementin. 1, De celebratione missarum. (31. Unde graves doctores, ut Navarrus, Medina, Azorius, Vasquez, Marchant. apud Sporer, *loc. cit.*, n. 135, Suarez, Baldell., Covarruv. et alii apud La Croix, lib. IV, num. 136, dicunt, quod si in eadem Hora, vel psalmo absque rationabili causa fiat magna et longa interruptio, sit peccatum mortale, nisi repetatur totum, quia sic tollitur, seu dissolvitur unitas et forma orationis ab Ecclesia instituta; estque species non parvæ irreverentiæ erga Deum, ceptum cum ipso colloquium sine justa causa, imo aliqua impertinente actione, seu vana locutione, notabiliter interrumpere, quod homo a servo vix toleraret.

(32. At vero per se, præscindendo a scandalo et contemptu, non erit peccatum mortale, sed solum veniale Horam canonicam ceptam absque omni rationabili causa interrumpere, etiam notabiliter per multas Horas, quia cum singulæ partes sint per se quædam preces, vel laudes divinæ, nec habeant necessariam connexionem cum aliis, sed tantum accidentalem ex ordinatione Ecclesiæ, qui eas etiam per multas Horas notabiliter interrumpit, dummodo omnes absolvat intra eandem diem, revera adhuc implet substantiam præcepti, quamvis in accidentaliter modo continuationis non servato peccet contra ordinationem Ecclesiæ, adeoque non mortaliter, sed solum venialiter: Sic Arragon. Layman, Sanchez, Bonacina, Quintanadven., Pellizzarius, Tauerus, Bassæus, Sporer, Tamburini, Lessius, Beja, Gobat, Illsung, aliique citati et secuti a La Croix, l. IV, n. 1306, Suarez, Diana et alii apud Sporer, *loc. cit.*, num. 136, ubi insuper dicit esse communem, Reiffenstuel., *Theol. moral.*, tract. 6, dist. 1, quæst. 5, num. 55; Henno, tom. V *Tract. in Decalog.*, disputat. 1, quæst. 3, conclus. 2 et alii passim.

(33. Imo, si justa et rationabilis aliqua causa interveniat, nullum, ne veniale quidem, peccatum est interrumpere paulisper recitationem divini officii. (34. Sic præcitati doctores. Tales autem justæ et rationabiles causæ variæ esse possunt, ut si in confessionali confessarius expectet penitentes, quorum aliqui, dum recitat Horas, accedunt; si occurrat necessitas succurrendi proximo infirmo, vel aliter indigenti; si eveniat occasio amicum, vel alium salutandi, alloquendi, respondendi, etc., si quis interim aliquid faciat ad tollendam distractionem, aut aliquid

in charta notet ad repellendam internam inquietudinem, seu sollicitudinem, et huiusmodi. Sic citati doctores.

(35. Matutinum autem potest licite etiam sine ulla causa dividi tota nocte a Laudibus. Vide verb. *MATUTINUM*, num. 15. (36. Imo multi dicunt, id esse etiam laudabile. Vide *ibidem*, num. 16. Quando Matutinum dividitur a Laudibus, debet in fine addi *Pater noster*, et probabilius etiam addi debet oratio diei, sine tamen aliis commemorationibus. Vide *ibidem* num. 17. (37. Probabilius est etiam, quod initio Laudum divisarum non debeat dici *Pater noster* et *Ave*, quamvis consultum, et laudabile sit illa dicere. Vide *ibidem*, num. 18. (38. Posse etiam separari in Matutino Nocturnum a Nocturno, dummodo interruptio sit tantum unius, aut alterius Horæ, tenet probabilius Henno, tom. I *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 7, conclus. 2, in fine, quia, dicit, sic fiebat in primitiva Ecclesia, ubi Matutinum canebatur in tribus vigiliis noctis, Laudes in quarta vigilia; et idem censent Lezana, tom. I, cap. 12, n. 16; Gobat, tom. I, tract. 5, num. 67, et Sporer, *loc. cit.*, num. 138, ubi dicit, quod non exigitur gravis ratio ad tollendam omnem culpam ejusmodi separationis per dimidiam circiter horam, et postea dicturus aliud Nocturnum non præmittit necessario *Pater* et *Ave*, ut contra Reginaldum bene docent Azorius, tom. I, lib. X, cap. 8, q. 4; Gobat, *loc. cit.*, n. 675, et alii.

(39. Pro recitando divino officio ab omnibus Breviario Romano adstrictis servanda est omnino forma generalis Breviarii editi jussu S. Pii V constitut. incip. *Quod a Nobis*, et confirmati a Clemente VIII const. inc. *Cum in Ecclesia*, et ab Urbano VIII correcti, et novis hymnis adornati, constitut. incip. *Divinam psalmodiam*; quarum trium constitutionum summarium habes supra art. 1. num. 10, 11 et 12. (40. Dicitur autem notanter, *Ab omnibus Breviario Romano adstrictis*, quia S. Pius V in cit. constitut. incip. *Quod a Nobis*, confirmata a dictis Clemente et Urbano octavis, excipit Ecclesias illas et religiones, quæ a ducentis annis fuerunt alio Breviario usæ illisque indulget servare suam antiquam formam, et uti dicitis suis propriis Breviariis.

(41. Clerici et religiosi astricti Breviario Romano non satisfaciunt præcepto, sed mortaliter peccant, si recitent officium ex alio Breviario peculiari alicujus Ecclesiæ, vel religionis, v. g. Ambrosianæ, Dominicanæ, et huiusmodi. *Communis*, arg. cit. constitut. S. Pii V incip. *Quod a Nobis*, ubi expresse statuitur, eum, qui suæ Ecclesiæ vel religionis formam non custodit, præcepto non satisfacturum: præcepto autem non satisfacere, quamvis esset etiam per unicum diem, est materia gravis.

(42. E contra clerici et religiosi astricti Breviario propriæ Ecclesiæ, vel religionis (nisi aliud specialiter pro ipsis post dictam constitutionem S. Pii V a S. Sede sit cautum) non peccant, si in privata recitatione divini officii utantur Breviario Romano; quia tunc

conformes se reddunt Ecclesie Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum; unde merito præsumendum est, id non displicere Pontifici, maxime cum S. Pius V in d. constitutione loquatur de choro, et insuper de iis dicat. « Quibus inveteratum illud jus psallendi suum officium non adimimus, » quibus verbis, ut vides, illas Ecclesias et religiones ab hac nova lege eximit quasi privilegio; privilegio autem utimur, quando volumus; cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare, cap. *Si de terra* 6, De privilegiis, et l. *Si quis in scribendo* 29, cod. *De pactis*; et sic expresse tenent Sæ, verb. *Horæ*; Buzemb., lib. iv, cap. 2, dub. 33; Lessius, lib. ii, *De Justit.*, cap. 37, num. 74; Portell., verb. *Horæ*, Diana, part. ii, tract. 12, resol. 10; Sporer, *loc. cit.*, num. 114, et alii contra Suarez, *De oratione*, lib. iv, cap. 23, n. 6; Henricx, *De Horis canonicis*, disp. 2, quæst. 2, num. 11, et alios oppositum sentientes, præsertim de religiosis, qui vi professionis suæ non improbabiler tenentur ad ritum sui ordinis, abstrahendo ab omni diocesi.

* Quorum sententia omnino sequenda est, cum qui ordini vel Ecclesie proprio ritu in divini officii recitatione utenti ascripti sunt, eo ritu in canonicis Horis persolvendis uti teneantur. Itaque S. cong. Concilii (*Vid. Cuniliati*, tract. 4, *De primo Decalog. præcept.* cap. 11, § 4, num. 1) apud Garciam *De beneficiis*, p. iii, c. 1, num. 153 de hoc consulta respondit: « Habentes Breviarium ante ducentos annos institutum, non satisfacere recitando, etiam extra chorum, juxta formam Breviarii novi Pii V, si hoc in sua Ecclesia non fuerit receptum de consensu episcopi et capituli. »

(43. Forma recitandi divinum officium, nedum servanda est secundum dictum Breviarium, sed etiam secundum proprium Kalendarium, seu directorium recitando qualibet die, prout ibi signatur. *Communis*.)

(44. Unde peccat mortaliter, nec satisfacit præcepto, qui, data opera, mutat officium hujus diei in aliud officium notabiliter brevius. *Communis*. arg. proposit. 34, ex merito damnatis ab Alexandro VIII die 18 Martii 1666, ibi: « In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto. » Et ratio est, quia, ultra quam quod variatur hoc modo sine justa causa forma ab Ecclesia præscripta, omittitur etiam magna et notabilis pars officii diei, ideoque peccatur mortaliter. (45. Imo peccat probabiliter etiam mortaliter, qui, data opera, sine justa causa mutat officium hujus diei in aliud li-

(139) *Nota Romani theologi.* — Convenit penes omnes, quod si quis unum officium pro alio absque justa et urgente necessitate recitaret, peccaret saltem venialiter. Quod si culpabiliter id faceret, certe majus peccatum committeret, et ex multorum non inferioris notæ theologorum sententia, lethale peccatum committeret, præcipue post bullam S. Pii V, et propositionem damnatam ab Alexand. VII. Pius quintus siquidem præcipit nedum divini officii recitationem; verum et modum, formulamque

cet æquivalens, et etiam longius; sic divus Antoninus, P. Marchantius, et Salmanticenses citantes pro se quatuordecim auctores, ut notat, et sequitur Henno tom. I *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 5, concl. 2, et tenent alii plures cum Sporer, *loc. cit.*, num. 117, cum Castropal., tract. 7, disp. 2, num. 17, cum Stoz, lib. I, part. iii, n. 388 et 397, contra multos alios; et ratio est, quia officium hac die ab Ecclesia præscriptum, sunt hi psalmi, hi hymni, hæ antiphonæ, hæ lectiones, etc., et forma tali die determinata a S. Pio V est præscripta veluti substantia rei præceptæ; sanctus enim ille Pontifex non præcipit officium divinum in genere, sed officium tale juxta occurrence festorum, aut dierum, ut patet ex ejus toties cit. Constitutione incip. *Quod a Nobis*. Dicere autem obligationem illam in re tanti momenti et ponderis, esse levem, videtur omnino sine fundamento.

(46. Qui culpabiliter recitavit officium de martyre, v. g. cum esset recitandum de confessore, non tenetur totum repetere, sed sufficit, si repetat illa quæ sunt confessoris propria, quia quælibet oratio, antiphona, lectio, capitulum, responsorium, etc., habet suam vim, efficaciam, et significationem independentem a psalmis, et aliis. Henno, t. I *Tr. in Decalog.*, disp. 1, art. 5, respons. ad primum quæsitum; Buzemb., *loc. cit.*, cum pluribus ibi citatis; Lugo, *Respons. moral.*, l. v, dub. 8, et alii passim (139). (47. Si autem inculpabiliter per inadvertentiam recitavit offic. de martyre, cum esset recitandum de confessore: licet consultius, et laudabilius sit illud repetere, non esset tamen obligatorius, neque sub veniali, quia is præcepto Ecclesie jam satisfecit; neque præsumendum est quod Ecclesia velit ad duo officia obligare eum, qui sine culpa est. Henno, *loc. cit.*; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 62, et communis aliorum, teste Viva ad propositionem 34, ex damnatis ab Alexand. VII, num. 16.

(48. Qui per inadvertentiam, seu errorem inceptit recitare officium non præscriptum, et recitato jam Matutino, primum advertit errorem, si nolit ab initio repetere, uti esset consultum, et laudabile, sufficit, quod ex tunc errorem corrigat, et recitet officium præscriptum illius diei quoad reliquas Horas: in tali enim casu eum excusat bona fides, et eo maxime, quod pensum quoad substantiam, et æquivalentem quantitatem jam persolverit. Viva, *loc. cit.*, num. 16, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 68; Henricx, disp. 2, *De Horis canonicis*, q. 3, num. 19; Lugo,

designat, qua dicendum, recitandumque est divinum officium. Si quis itaque culpabiliter et data opera modum hunc, formulamque mutaret, recitando officium de martyre, quando recitandum erat de confessore; probabiliter est quod totum de confessore officium repetere debeat; nec sufficeret, si ea tantum repetat, quæ sunt confessoris propria. Imo sententia opposita, quam Lucius noster defendit, ad laxitatem propendit, ratione propositionis damnatæ, ac bullæ PIANÆ.

Respons. moral., lib. v, dub. 8; Sporer, *loc. cit.*, num. 128; Sanchez, Tamburin.; et alii ibi citati. Consultum tamen est, quod repetat saltem antiphonas, versus, collectam, et alia propria festi, de quo erat secundum rubricas recitandum matutinum, et hujusmodi.

(49. Qui per inadvertentiam, vel errorem hodie recitavit officium crastinum, aut lectiones Scripturæ diei crastinæ assignatas, debet cras iterum recitare illud officium jam hodie recitatum, aut lectiones Scripturæ jam hodie recitatas, quia pro tali die est præceptum obligans de persolvendo isto officio, cui heri, cum tempus præcepti necdum cucurrerit, non potuit satisfieri. Nec error, et inadvertentia dat jus invertendi rubricas; unde, si inadvertenter erravit heri, non debet advertenter errare hodie, non recitando officium hodiernæ diei assignatum per hoc, quod jam illud recitaverit heri; quia sic esset bis errare contra rubricas. Viva, *loc. cit.*, num. 16; Henno, *loc. cit.*, respons. 1, ad 2 quæsitum; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 64; Henricx, *loc. cit.*, num. 20; Sanig, dist. 2, *De Horis canonicis*, qu. 3, num. 5; Sporer, *loc. cit.*, n. 127; Lugo, *Respons. moral.*, lib. v, dub. 8, ubi mordicus hanc sententiam propugnat, et plurima adducit.

(50. Unde sequitur, quod, qui sic erravit, debeat potius eo anno penitus illud officium omittere, quam rubricas invertere, illud in alium diem transferendo, cum non sit præceptum recitandi semel in anno de tali Sancto, sed recitandi tali die; sic Lugo, omnesque citati numero antecedenti, et alii. (51. Plura consimilia vide apud Sporer, *loc. cit.*, num. 129 et 130.

(52. Generaliter loquendo omnis clericus, sive sæcularis, sive regularis, existens etiam pluribus annis extra suam diocesim, aut monasterium, sed solum tanquam peregrinus, aut advena, potest recitare officium de Sanctis, de quibus recitaret, si existeret reipsa in sua diocesi, aut in suo monasterio, adeoque de reliquiis, aut de Dedicacione, aut de Patronis suæ Ecclesie. Suarez, *Quintanadven.* citati, et secuti a Gobat, tom. I, tr. 5, num. 635; La Croix, lib. iv, n. 1244. (53. Unde sacra cong. Rit. die 8 Septemb. 1602 decrevit quod: « Qui sunt de gremio alicujus Ecclesie, debent recitare officium, quod in choro dicitur, et licet extra Ecclesiam, vel diocesim morentur, deest eos recitare officium proprium Ecclesie ipsorum. »

(54. Regulares vero choro addicti debent semper recitare officium, quod recitatur in illo conventu in quo sive ut moratores, sive ut hospites, existunt, ut dicitur in rubricis particularib. *Breviarii nostri Franciscani*, n. 143 et 144, ibi: « Cum ex decreto sacre Rit. congr. die 8 Sept. 1602 emanato, qui sunt de gremio alicujus Ecclesie, debeant recitare officium, quod in illius choro dicitur, et aliunde cum fratres se ipsa de gremio illius Ecclesie censeantur, cujus choro sive ut hospites, sive ut moratores, sunt

obligati; hinc tanquam certum tenendum, ipsos, dum sunt præsentés, etiam ut hospites in aliquo conventu, ordinis facere officium, tam de festis, quam de octav., sicut fit in conventu illo, quamvis per ordinem generaliter de iis non fiat; postquam vero ab illo conventu recesserint, ad officium consuetum redeant. Ex rubr. a S. Sede pro nobis, ac fratribus Dominicanis et Carmelitanis approbatis. »

(55. Forma recitandi divinum officium juxta Kalendarium et *Breviarium Franciscanum* servanda est ab omnibus religiosis et monialibus existentibus sub obedientia ministri generalis Fratrum Minorum. Sac. cong. Rit. 7 Aug. 1664. *Vide d. rubricas.* Et sic sæpe alibi.

(56. Etiam moniales tam S. Claræ, quam tertii ordinis, quamvis sint sub gubernio ordinariorum, possunt uti nostro *Breviario Franciscano*, ut expresse cavetur de mente S. Sedis in rubricis, n. 141, ibi: « Eidemque conformari queunt moniales, tam S. Claræ, quam tertii ordinis, sive sint sub nostri ordinis, sive sub ordinariorum, aut aliorum religiosorum cura, et gubernio, quæ usum elegerint ejusdem Breviarii; sacra siquidem congregatio in decreto die 30 Aug. 1687 edito, consulto declaravit licere prædictis monialibus S. Claræ, et tertii ordinis uti Breviario vel Patrum conventualium, vel Patrum observantium. »

(57. Etiam tertiarum nostri ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro *Breviario Franciscano*, ut expresse cavetur de mente S. Sedis in dictis rubricis, n. 142, ibi: « Personæ tandem tertii status tertiarum ordinis prædicti (quæ quatenus vivendi formam ac regulam a S. Sede approbatam, opera nostra suscipiunt, quoad ejusdem regulæ observantiam, directioni nostri ordinis regulari ex Apostolico præscripto legitime subsunt), eodem poterunt uti Breviario, quia præter superius adductum decretum a sacra congr. die 7 Augusti 1694 editum, id pariter præscribunt tam rubr. num. 1, 2, 3, 4 et 21, ut num. 22 innuitur, approbatæ, quam bulla Pauli III, *ibid.* apud directorium trium ordinum citata; in qua sub cap. 4 Regulæ hujus tertii status, sic adest sanctum: « Fratres litterati, seu beatæ litteratæ, si voluerint, persolvant divinum officium, ut fratres primi status hujus sacri ordinis de Pœnitentia. »

(58. Tam fratres, quam tertiarum in sæculo degentes, qui ratione episcopalis dignitatis, aut alterius muneris, sunt de gremio alicujus Ecclesie, et ipsius choro intervenire debent, tenentur recitare officia, quæ sunt particularia illius Ecclesie et diocesis. Secus vero, si de gremio fuerint, choro tamen nullatenus sint obligati. Sic expresse ex decreto sacre Congr. in dictis rubricis, num. 143, ibi: « Hinc tam fratres quam tertiarum tertii status in sæculo degentes, de quibus loquuntur rubr., num. 4 et 21, qui ratione episcopalis dignitatis, et alterius muneris, de gremio alicujus Ecclesie fuerint, et ipsius choro intervenire debuerint,

recitare tenebuntur officia, quæ sunt particularia illius Ecclesiæ et diœcesis; secus vero si de gremio fuerint, choro tamen nullatenus sint obligati. » Ex decreto dicta die 8 Septembris 1602 expedito.

(59. Generaliter autem loquendo episcopus regularis debet officium recitare juxta ritum suæ diœcesis, non vero regulæ, et occurrente festo regulæ, in festo diœcesis, hoc erit præferendum. S. cong. Rit. 11 Jun. 1605; apud La Croix, lib. vi, part. II, num. 2055, decret. 69.

(60. Communicatio etiam amplissima privilegiorum unius religionis alteri facta se minime extendit ad officia sanctorum. Sac. cong. Rit. 16 Dec. 1679. Vide d. rubricas, num. 161.

(61. Facultas recitandi officium de aliquo sancto concessa uni ex ordinibus, seu congregationibus fratrum, seu monialium S. Francisci, non extenditur ad fratres, seu moniales alterius congregationis. Sic sac. Rit. cong. in cit. decreto, ut patet in dictis rubricis, num. 162, ibi: « Facultate recitandi officium de aliquo sancto concessa uni ex ordinibus, sive fratrum, sive monialium S. Francisci, seu uni ex congregationibus, ad eosdem ordines spectantibus, uti nequeunt fratres, aut moniales alterius ordinis, seu congregationis, cui ea facultas expresse non fuerit impertita. » Ex eodem decreto.

(62. Nec admitti debet mutua extensio inter aggregationes, Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum utriusque familiæ. Sacra Rit. cong. in cit. decreto, ut liquet in citatis rubricis, num. 163, ibi: « Nec admitti debet mutua extensio inter aggregationes Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum utriusque familiæ, Ultramontanæ scilicet, et Cismontanæ, quoad prædictam facultatem, vigore solius præfatæ communicationis. » Ex ipsomet decreto.

(63. Multo minus admitti potest eadem extensio de conventu ad alios conventus, et de provincia ad alias provincias. Sacra Rit. cong. in cit. decreto, ut habetur in citatis rubricis, num. 164, ibi: « Multoque minus admitti poterit eadem extensio de uno conventu, seu de una provincia ad alios conventus, aut provincias ejusdem ordinis vel instituti: » Ex eodem decreto.

(64. Quamvis officia sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembri, alias transferri possent in annum sequentem, ex decreto sac. cong. Rit. 7 Decemb. 1680, nunc vero amplius transferri non possunt, novissimo decreto ejusdem sac. cong. Rit. 8 Mart. 1738, ut infra:

« Ex parte ministri provincialis ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum provincie S. Didaci in regno Mexicano sac. Rit. congregationi pro declaratione infra-scripti dubii supplicatum fuit: »

« An sancti de quibus in toto anni decursu celebrari officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno omittendi? »

Sac. eadem congr. inhærendo alteri resolutioni in similibus editæ ad instantiam reverendissimi archiepiscopi Hispalen. sub die 26 Novemb. 1735, rescribendum censuit:

« Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tanquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut in semiduplicibus cum nona lectione ad matutinum composita ex eorum omnib. lectionib. propriis secundi nocturni ad modum unius, et ita declaravit die 8 Mart. 1738.

« Card. GUADAGNI, propræf. »
Vide Decr. S. R. C., in fin. h. tom. referenda.

(65. Episcopi regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de beatis suæ religionis recitare officium, et in propriis cathedralibus missam celebrare, et altare prædictis beatis erigere. S. cong. Rit. 17 Aprilis 1660.

(66. Cappellanus episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare. Sac. Rit. cong. 11 Jun. 1605.

(67. Non possunt locorum ordinarii tam sæculares quam regulares addere Kalendariis, etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ breviarii Romani rubricis, vel sacrorum Rituum congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Sac. Rituum congreg. 8 April. 1628, et 10 Jun. 1690.

(68. Si festum S. confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in hymno *Iste confessor* nulla fiat mutatio versiculi, sed dicatur *Meruit beatas*, dummodo primæ vespere non sint impeditæ. Sac. Rit. cong. 13 Jan. 1683.

(69. Translato festo S. confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste confessor* facienda est mutatio versiculi dicendo: *Meruit supremos*. Sac. Rit. cong. 14 Jun. 1692.

(70. Et hoc, etiamsi tali confessori perpetuo translato sit fixa dies assignata. Eadem sac. cong. Rit. 11 Jun. 1701, in responsione ad 5.

(71. Officium, seu festum translatum, quamvis possit in diem immediate sequentem transferri, seu reponi, non debet recitari, seu celebrari ante alia festa prius translata, quando sunt æqualis ritus. Sic recedendo a decreto edito in *una ordinis Capucinorum* 30 Sept. 1679 statuit sac. congreg. Rit. in *Lycien.* 24 Novem. 1691; in *Suessana* 11 Jul. 1695, et 22 Decemb. 1696. Quando, proposito tali dubio, expresse respondit: « Officium celebrandum esse de primo translato. » Sic refert Monacell., t. III, tit. 13, form. 2, n. 21. Vide tamen resolutiones sac. cong. in fin. h. tom. referenda.

(72. Si occurrerint, vel fuerint transfe-

renda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrerent, quorum unum sit universale, et alterum particulare alicujus diœcesis, vel religionis, prius fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstetratio majoris dignitatis. Sac. cong. Rit. die 13 Junii 1682 et 27 Sept. 1698. Item vide cit. resolutiones sacrar. congreg. ad calcem h. tom. referenda.

(73. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, et quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. Sac. cong. Rit. 20 Jul. 1686.

(74. Si simul sint transferenda festa S. Marci evangelistæ, et SS. apostolorum Philippi et Jacobi, prius reponatur festum S. Marci, deinde festum Apostolorum. Sac. Rit. cong. 18 Sept. 1666. Vide resolutiones sac. congreg. in fin. h. tom.

(75. Si vero simul sint transferenda festa S. Josephi, et Annuntiationis, prius reponatur officium Annuntiationis, deinde S. Josephi, non obstante decreto edito in contrarium sub die 12 Jan. 1682. Sic decrevit eadem sac. cong. Rituum 14 Jun. 1692. Vide resolutiones sac. congregat. in fine h. tom.

(76. Capellanus monialium potest missam celebrare de sancto, cujus officium ab ipsis monialibus recitatur in choro, Missali tamen Romano, in quo, si missa particularis de eodem sancto non adest, sumitur de communi. Sac. Rit. cong. in *Austria Osoponti* 22 Dec. 1672, apud Barbosa, in *Summ. Apostolic. decis.*, verb. *Capellanus*, num. 4. Et eadem sacra cong. 20 Novemb. 1628 apud Nicol., *Lucubr. canonic.*, tit. 1, *De vita et honest. cleric.*, et Gavant. in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium cura spiritualis*, n. 33, et Monacell., t. I, tit. 11, formul. 23, n. 6.

(77. Et novissime eadem sac. cong. Rit. die 20 Novembris 1717 idem concessit confessoribus et capellanis monialium, approbante et confirmante Clemente XI die 1 Decembris ejusd. anni 1717, ut apparet in ejus *Bullario*, decr. 28, sacre congreg. Rit. Vide verb. *MONIALES*, art. 5, num. 48.

(78. Unde capellani et confessarii monialium, ad hoc, ut missa concordet cum officio, possunt etiam recitare officium,

(140) *Nota Romani theologi.* — Scio plurima ex sacra Rituum congregatione variis temporibus produsse decreta, quibus præcipitur, ut sacerdotes sæculares, etiam capellani, missas celebrent in ecclesiis monialium de sanctis illis, de quibus officium a monialibus celebratur, sed cum Missali Romano. At capellanos ipsos posse se conformare in officio quoque cum monialibus, falsum mihi omnino est. Nam si capellani, aut alicui ecclesiæ aut religioni sunt addicti, certe recitare nequeunt officium monialium illarum, quarum ecclesiæ inserviunt. Si vero nulli religioni aut ecclesiæ sunt addicti, utpote ad solum patrimonii titulum ordinati, tunc officia illa recitare debent, et juxta illum ritum, quo recitantur in tota illa diœcesi, in qua sunt; sic videmus

quod recitant moniales, sed cum breviario Romano, et de communi ad instar citati decreti de die 20 Novembris 1717, in quo statuitur, quod missas sanctorum, de quibus moniales recitant officium, confessori et capellani ipsarum celebrent cum Missali Romano et de communi. Non vero missas proprias eorundem sanctorum variis ordinibus a sacra congregatione concessas. Gobat, tom. I, tract. 5, num. 625; Henno, tom. I *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 4, concl. 4; Quintanadven., *Singular.*, tract. 8; Tambur., in *Decal.*, lib. II, cap. 5, § 2, n. 32; Stoz, lib. I, part. III, n. 386; La Croix, lib. IV, num. 1254, et alii dicentes quod tales capellani, seu confessarii videantur æquiparari beneficiis, qui possunt recitare officium Ecclesiæ cujuscunque, in qua habent beneficium (140).

(79. Regulares tenentur sub ritu duplici 1 classis cum octava ad officium tam dedicationis, quam titularis ecclesiæ conventus, in quo morantur. Sac. Rit. cong. 3 Junii 1682. (80. Item sub eodem ritu, sed sine octava, tenentur ad festa sanctorum, qui provinciis regularium præsent, tanquam earum patroni, seu titulares. Rubr. partic. *Breviarii nostri Franciscani*, num. 77.

(81. Regulares tenentur celebrare festum de dedicatione Ecclesiæ cathedralis, sed sub ritu duplici 2 classis, et sine octava. Sacra congreg. Rit. 8 Aprilis 1652. (82. Officia autem de patrono principali loci conventus, ac de patrono, seu protectore principali civitatis, regni, aut provincie, et de titulari Ecclesiæ cathedralis tenentur regulares celebrare sub ritu duplici 1 classis, et sine octava. Sacra cong. Rit. 3 Junii 1682 et 20 Martii 1683, ut patet in dict. rubr. particularib. nostri *Breviarii Franciscani*, n. 78 et 80.

(83. Ad officia vero de patronis minus principalibus ac de sanctis diœcesum non tenentur nisi sint descripta in Kalendario, et tunc non sub alio ritu quam ibi assignato. Cit. rubr. particulares d. n. 78, ex decreto sacre congregationis Rituum ibi adducto.

(84. Ad hoc autem, ut regulares teneantur ad officia patronorum principalium, et clerici sæculares etiam ad officia patronorum minus principalium, debent esse

quotidie in praxi; et nullus monialium capellanus arbitratur se posse conformare in recitatione divini officii cum monialibus, quarum ecclesiæ inservit.

De monialium confessoribus, qui missam conventualem, vel canere, vel quotidie legere debent, quæque, quoad fieri potest, concordare debet cum officio, nonnullorum est opinio, quos inter continuator Tournely, tom. I, part. 2, cap. 2, quæst. 5. eos posse convenire cum monialibus in recitatione divini officii; sed praxis confessoriorum est in contrarium, etiamsi nulli ecclesiæ sint addicti: immo neque id facere posse existimant sine privilegio speciali.